TIT. VII.
DE APOSTATIS [1].

De publicatione bonorum.

1. Impp. CONSTANT. & JULIAN. CC. ad Thalaſſium P. P.

SI [2] quis lege venerabili conſtitutus, & ex Chriſtiano Judæus effectus, ſacrilegis cœtibus aggregetur: cum accuſatio fuerit approbata, facultates ejusdem dominio fiſci [3] jubemus vindicari. Dat. 5. Non. Jul. *Mediol.* CONSTANTIO A. IX. & JULIAN. Cæſ. II. CONSS. 357.

De accuſatione defuncti.

2. Imppp. GRATIAN. VALENT. & THEOD. AAA. ad Hypatium P. P.

SI [4] quis defunctum [5] violatæ [6], atque deſertæ Chriſtianæ religionis accuſat, eumque vel ad ſacrilegia templorum, vel ad ritus Judaicos tranſiſſe contendit, eaque gratia teſtari [7] minime potuiſſe confirmat: intra [8] juge [9] quinquennium, quod [de] inofficioſis conſtitutum eſt, proprias exigat actiones, futurique judicii hujuſcemodi ſortiatur exordium. Dat. XII. Kal. Jun. *Patavi*, MEROBAUDE II. & SATURNINO CONSS. 383.

De teſtimonio, teſtamenti factione, ſucceſſione, reſtitutione, pœnitentia.

3. Imppp. THEOD. VALENT. & ARCAD. Flaviano P. P.

HI [10], qui ſanctam fidem prodiderunt [11], & ſanctum [12] baptiſma hæretica ſuperſtitione profanarunt, a conſortio omnium ſegregati ſint, a teſtimoniis alieni, teſtamenti (ut ante jam ſancimus) non habeant factionem: nulli in hereditate [13] ſuccedant, a nemine ſcribantur heredes [14]. Quos etiam præciperemus procul abjici, ac longius amandari, niſi [15] pœnæ viſum fuiſſet eſſe majoris, verſari inter homines, & hominum carere ſuffragiis. † Sed nec unquam in ſtatum priſtinum revertantur: nec flagitium horum obliterabitur pœnitentia [16]: neque umbra aliqua exquiſitæ defenſionis, aut muniminis obducetur: quoniam quidem eos [17], qui fidem, quam Deo dedicaverant, polluerunt, & prodentes divinum myſterium in profana migraverunt; tueri ea quæ ſunt commentitia & concinnata, non poſſunt. Lapſis etenim & errantibus ſubvenitur: perditis vero, hoc eſt, ſanctum baptiſma profanantibus, nullo remedio pœnitentiæ, (quæ ſolet aliis criminibus adeſſe) ſuccurritur [18]. Dat. 5. Id. Maji, *Concordiæ*, TATIANO & SYMMACHO CONSS. 391.

De præſcriptione temporis. De teſtamentis, donationibus, venditionibus.

4. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Baſſo P. P.

APoſtatarum [19] ſacrilegum nomen, ſingulorum vox continua accuſatione inceſſet, & nullis [20] finita temporibus hujuſcemodi criminis arceatur indago. Quibus quamvis præterita interdicta ſufficiant, tamen etiam illud iteramus, ne [21], poſtquam a fide deviaverint, teſtandi aut donandi quippiam habeant facultatem. Sed nec venditionis ſpecie [22] facere legi fraudem ſinantur, totumque ab inteſtato Chriſtianitatem ſectantibus propinquis potiſſimum deferatur. † In tantum autem contra hujuſcemodi ſacrilegia perpetuari volumus actionem; ut univerſis ab inteſtato venientibus, etiam [23] poſt mortem peccantis, abſolutam vocem inſimulationis congruæ non negemus. Nec id patiemur obſtare, ſi nihil in conteſtatione prophano dicatur vivente productum. † Sed ne hujus interpretatio [24] criminis latius in incerto vagetur errore: eos præſentibus inſectamur oraculis, qui nomine *Chriſtianitatis* induti, ſacrificia [25] ſacrilega vel fecerint, vel facienda mandaverint: quorum etiam poſt mortem comprobata perfidia, hac ratione plectenda eſt, ut donationibus teſtamentiſque reſciſſis, hi quibus hoc deferret legitima ſucceſſio, hujusmodi perſonarum hereditate potiantur. Dat. 7. Idib. April. *Ravennæ*, THEODOSIO XII. A. & VALENTINIANO A. II. CONSS. 426.

De eo, qui alium in nefandam ſectam ritumve transduxit.

5. Iidem AA. Florentio P. P.

EUm [26] qui ſervum ſive ingenuum invitum [27], ſeu ſuaſione plectenda, ex cultu Chriſtianæ religionis in nefandam ſectam [28] ritumve transduxerit, cum diſpendio fortunarum capite puniendum eſſe cenſemus. Dat. Prid. Kal. Febr. THEODOSIO XV. [29] & VALENTINIANO IV. AA. CONSS. 435.

De clericis, vel monachis Apollinariſtis, vel Eutychianis.

6. Impp. VALENT. & MARTIAN. AA. Palladio P. P.

EOs [30], qui catholicarum eccleſiarum clerici, vel orthodoxæ fidei monachi [31], relicto vero orthodoxæ religionis cultu, Apollinaris, vel Eutychetis hæreſim, & dogmata abominanda ſecuti fuerint; omnibus pœnis, quæ prioribus legibus adverſus hæreticos conſtitutæ ſunt, jubemus teneri, & extra ipſum quoque Romani imperii ſolum repelli. ſicut de Manichæis præcedentium legum ſtatuta ſanxerunt. Dat. Kal. Aug. VALENTINIANO A. VII. & AVIANO CONSS. 450.

TIT. VIII.
NEMINI [32] LICERE [33] SIGNUM [34] SALVATORIS CHRISTI, HUMI, VEL IN SILICE, VEL IN MARMORE, AUT INSCULPERE, AUT PINGERE.

1. Impp. THEOD. & VALENTIN. AA. Eudoxio P. P.

CUm ſit nobis cura diligens per omnia ſuperni Numinis religionem tueri: ſignum Salvatoris Chriſti nemini licere vel in ſolo, vel in ſilice vel in marmoribus humi [35] poſitis inſculpere, vel pingere: ſed quodcunque reperitur tolli, graviſſima pœna multando eo, qui contrarium ſtatutis noſtris tentaverit, ſpecialiter imperamus. Dat. 12. Kal. Jun. HIERIO & ARDABURIO CONSS. 427.

TIT. IX.
DE JUDÆIS [36], ET COELICOLIS [37].

De legatis.

1. Imp. ANTONIN. A. Claudio Triphonino.

QUod Cornelia Salvia Univerſitati [38] Judæorum, qui in Antiochienſium civitate conſtituti ſunt, legavit [39], peti non poteſt. Dat. Prid. Kal. Jul. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

De feſtivitatibus.

2. Græcæ conſtitutionis epitome ex eadem collectione, & Nomocan. tit. 7. cap. 4. & Euſtathio de temporibus.

IN feſtivitatibus aut Sabbatis ſuis Judæi corporalia [40] munera non obeunt, neque quicquam faciunt, neque propter publicam privatamque cauſam in jus vocantur, aut ipſi Chriſtianos in jus vocant.

De his, qui converſos ad Chriſtianiſmum injuria afficiunt.

3. Imp. CONSTANT. A. ad Euagrium P. P.

JUdæis [41], [& Cœlicolis,] & Majoribus [42] eorum, & Patriarchis volumus intimari, quod, ſi quis poſt hanc legem, aliquem, qui eorum feralem [43] fugerit ſectam, & ad Dei cultum reſpexerit, ſaxis [44], aut alio furoris genere (quod nunc fieri cognovimus) auſus fuerit attentare, mox flammis [45] dandus eſt, & cum omnibus ſuis participibus concremandus. Dat. 15. Kal. Nov. *Murgillo*, CONSTANTINO A. IV. & LICINIO IV. CONSS. 315.

De militibus velut hoſpitii merito irruentibus in ſynagogam Judaicam.

4. Impp. VALENT. & VALENS AA. Remigio magiſtro offic.

IN ſynagogam [46] Judaicæ legis, velut hoſpitii [47] merito, irruentes milites jubeas emigrare: quos privatorum domus, non religioſarum loca habitationum merito convenit attingere. Dat. Prid. Non. Martias [48] VALENTINIANO & VALENTE AA. CONSS. 365.

De muneribus.

5. Imppp. GRATIANUS, VALENTINIANUS & THEOD. AAA. Hypatio P. P.

JUſſio [49], qua ſibi Judaicæ legis homines blandiuntur, per quam eis curialium munerum dabatur immunitas [50], reſcindatur. Dat. 18. Kal. Maji, *Mediolani*, MEROBAUDE II. & SATURNINO CONSS. 383.

1 16. *C. Th.* 7. 2. *Synopſis Baſil.* 60. *tit.* 54. 6. Harm. 11. qui ſunt, v. *l.* 4. J. *h. t.* 2 *l.* 7. *C. Theod.* de Judæis, Cœlicolis & Samaritanis, *lib.* 16. Qui ex Chriſtiano factus erit Judæus δημευέσθω, proſcribitor, ſeu bona ejus publicantor. *Synopſis Baſilic.* 60. *tit.* 54. *c.* 20. 6. Harm. 11. §. 1. 3 Apoſtatæ bona confiſcantur. *Salic.* 4 Pars ultima *l.* 3. *C. Th. de apoſtatis.* 5 Mortuus deſertæ religionis accuſari poteſt, *l.* 4. §. 4. *ſupr. de hæret.* Quod ad inſtantiam, id eſt, petitionem Regis Franciæ factum fuiſſe adverſus Bonifacium Papam refert Clarus 5. *ſent.* §. *hæreſi. verſ. item de crimine.* 6 Crimen violatæ aut deſertæ religionis. 7 Apoſtatæ non licet teſtari. 8 Poſt quinquennium de religione defuncti non eſt quærendum. Adde & ſimiles caſus, *l.* 5. J. *ad l. Juliam de adult.* *l.* 17. §. 6. *ff.* & *l.* 5. J. *de injur.* *l.* 7. *ff. ad L. Juliam peculatus* & Titulum *ff. ne de ſtatu defunct. poſt quinquen.* Suetonius *in Veſpaſ.* vetuit inter cætera quæri de cujusquam defunctorum ſtatu ultra certos annos. 9 Id eſt, continuum, ut in *l.* 22. J. *ad ſenat. Vellejan.* *l.* 1. J. *ſi quacunque prædit. poteſt. in med.* S. L. 10 *l.* 4. *C. Theod. h. t.* 5. Harm. 11. §. 5. 11 Οἱ ἀποστάντες. *d.* §. 5. 12 Ὁ προδιδοὺς ἅγιον βάπτισμα &c. Qui ſanctum baptiſma prodidit, teſtimonium non dicit, nec teſtamentum facit, nec alii ſuccedit. Nam eſſe apoſtatam intelligitur *Synopſ. Baſil.* 60. *tit.* 54. *cap.* 21. & 22. 13 *Sub.* ab inteſtato, 6. Harmen. 12. §. 5. Teſtamenti factionem activam, vel paſſivam non habent. 14 Vel legatum, aut mortis cauſa donationem accipiant. Cujac. *conſult.* 32. 15 Pœnæ ſummum genus, verſari inter homines & eorum ſuffragiis, id eſt, commerciis carere. 16 Alii: *nec flagitium morum oblitterabitur.* quo pacto habet & Cod. Theod. ut lubet: dum memineris hanc partem non eſſe poſitam in Baſilicis: ſed ut duriorem & inhumaniorem omiſſam, qua de re vide Theodoretum *in Nomocanone.* Mod. Pœnitentibus alias parcitur, *l.* 4. §. 6. *ſupr. de hær.* *l.* 4. *l.* 41. *C. Theod. h. t.* *l.* 8. *circa fin. ſupr. de ſumma Trinitate.* præterquam Apoſtatæ, *ut hic.* 17 Hoc innuit, Qui fidem prodidit, tueri commentitia non poteſt: ſed quo tandem ſenſu? ſic reſtitue, eos qui f. q. D. d. p. & p. d. m. i. p. m. tueri non poſſumus. 18 Fidem hæretico datam non ſervare, num licet? Clarus negat ei ſervandam a privato, 5. *ſent.* §. *hæreſis. verſ. præterea.* quod certe durum: eſt enim grave fidem fallere. *l.* 1. *in pr. ff. de pecun. conſt.* Clarus *ibid.* & *in verſ. ulterius.* negat contumaci præſtari patronum, aut procuratorem. 19 *l.* 7. *C. Th. de apoſt.* 20 Quamdiu vivunt. *l.* 2. *ſupr. h. t.* adde alios caſus, *l.* 12. *l.* 19. *in fin. ff. ad leg. Cornel. de falſis.* *l.* 13. *ff. de SC. Silaniano.* *l. ult. ff. ad l. Pompeiam de parricid.* 21 50. *Eclog.* 54. *c.* 23. 22 Venditionis ſpecies eſt, venditio εἰκονικῶς εἰς ἀπάτην τοῦ νόμου contracta *d. c.* 23. v. *l.* 6. *ff. de reg. juris.* 23 Intra quinquennium tamen. *l.* 2. J. *h. t.* 24 Apoſtatæ definitionem obſerva. Adde *l.* 60. *Eclog.* 54. & 6. Harm. 11. Iidem dicuntur Margaritæ. Cujac. *hic.* 25 Harm. *d. loco.* 26 Pars Novellæ Theodoſii de Judæis, Samaritanis, hæreticis & paganis, 3. §. *his adjicimus.* videtur etiam hæc lex interpolata ex *l.* 18. *in fin.* J. *de Judæis.* 27 Pœnam cogentis Chriſtianum ad apoſtaſiam faciendam obſerva. 28 De Judæo mentem Chriſtianam corrumpente adde 6. Harm. 11. §. 3. 29 17. Cos. & qui fuerit nuntiatus: in Novellis Theodoſii. Recte. id eſt, a. 439. 30 Novella Martiani, quæ extat in actis concilii Chalcedonenſis. 31 Pœnam clerici & monachi in hæreſim prolapſi, nota.

32 Hic titulus non obſervatur in Gallia. *Autor legum in Gallia abrogatarum.* 33 Vide Peckium *in præfat. libri de ſacroſanct. & Cathol. eccleſ. reparand. num.* 5. Waltherum *l.* 2. *Miſcell.* & *textum in c. ſi canonici. ext. de offic. ordin.* *l.* 6. Mod. 34 Σταυρὸν τίμιον 1. *Eclog.* 1. *c.* 15. venerabilem crucem, *l.* 26. J. *de epiſc.* & *cleric.* Cur ſignum dicitur? dicam *ad Novell. Leonis* 72. 35 V. *c.* 73. *Synodi in Trullo.* Paulum Diaconum *in Tiberio.*

36 *Synopſ. Baſil.* 1. *tit.* 1. *c.* 11. 16. *C. Theod.* 8. Adde *Novell.* 137. περὶ Ἑβραίων. Adde 5. *Decret.* 6. & 5. *Clem.* 2. & 5. *Extr.* 2. *de Judæis & Saracenis:* & *Extrav. Joannis* 22. *tit.* 8. *de Judæis & Saracenis.* hic titulus abrogatus *Nov. Leonis* 55. 37 De Cœlicolis vid. *l.* 12. J. *h. t.* 38 Vid. Cujac. *obſ.* 30. 39 Judæorum univerſitati legari non poteſt. *Goth.* Quia collegium eſt illicitum *l.* 20. *ff. de reb. dub.* Anſ. 40 Judæis erant hierei, archiſynagogi & patres ſynagogarum, presbyteri, patriarchæ, apoſtoli ad exigendum aurum, *l.* 1. *l.* 2. didaſcali, *l. Hiereos.* 4. *l.* 14. *l.* 23. *C. Theod. de Judæis.* ἔξαρχοι & proceres. *l.* 9. J. *h. t.* primates, *l.* 17. J. *h. t.* 41 Pars prior *l.* 1. *C. Theod. h. t.* 42 Cœlicolis erant majores & Patriarchæ. vid. quæ notavi *ad l.* 12. J. *h. t.* 43 Feralis ſecta ignis ſupplicio digna. v. *l.* 6. *in fin.* J. *de maleficis & mathem.* 44 16. *C. Th.* 8. *c.* 5. 1. *Synopſis Baſilicon* 1. *cap.* 11. *ex lib.* 54. *cap.* 19. 45 De pœna Judæi in neophytum ſeditionem moventis. Hic tamen notandum, neophytum non liberari Chriſtianiſmi profeſſione a delictis anterioribus. Vide Clar. 5. *ſent.* §. *ult. quæſt.* 51. *verſ. ult. quæro.* *l.* 2. *C. Theod. de metatis.* 46 Synagogæ Judæorum immunes ab hoſpitatura. 47 Adde quædam ex *l.* 21. *in fin.* J. *de operibus public.* His addenda lex Francica 1. *c.* 144. qua cautum fuit, ut nullus presbyter annonam, vel fœnum in eccleſiam mittat, adde *Nov. Theod.* 2. 48 Maji. *C. Theod.* 49 *l.* 99. *C. Theod. de decur. lib.* 12. 50 *l.* 10. J. *h. t.* Judæi non ſunt a curiæ muneribus immunes. Hinc collige ſectam Judæorum non prohiberi. Circumciſio eis permittitur, *l.* 11. *ff. ad l. Corn. de ſicar.* *Eclog.* 1. *c.* 11. *ex lib.* 60. *tit.* 39. *c.* 11. decuriones fieri poſſunt, *l.* 3. *in fin. ff. de decur.* munera civilia obire coguntur. *l.* 15. §. 6. *ff. de excuſ. tut.* Cives Romani ſunt.

De

De nuptiis.

6. Imppp. VALENT. THEOD & ARCAD. AAA. Cynegio P. P.

NE [1] quis Chriſtianam mulierem [2] in [3] matrimonium [4] Judæus accipiat: neque Judææ Chriſtianus conjugium ſortiatur, nam ſi quis aliquid hujusmodi admiſerit, adulterii [5] vicem commiſſi hujusmodi crimen obtinebit: libertate in accuſandum publicis quoque vocibus relaxata. Dat. Prid. Idib. Mart. *Theſſalonicæ*, THEODOSIO A. II. & CYNEGIO CONSS. 388.

Nuptiæ inter Chriſtianos prohibitæ, etiam inter Judæos prohibentur, ipſorum lege ceſſante.

7. Imppp. THEOD. ARCAD. & HONOR. AAA. Infantio Comiti Orientis.

NEmo Judæorum morem [6] ſuum in conjunctionibus retineat, nec juxta legem ſuam [7] nuptias ſortiatur, nec in diverſa [8] ſub uno tempore conjugia conveniat. Dat. 3. Kal. Jan. THEODOSIO A. III. & HABUNDANTIO CONSS. 393.

De judiciis & arbitris.

8. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Eutychiano.

JUdæi [9] communi Romano jure viventes [10], in his cauſis, quæ tam ſuperſtitionem eorum, quam ad forum & leges ac jura pertinent, adeant ſolenni more judicia, omneſque Romanis legibus conferant, & excipiant actiones. † Si [11] qui vero ex his communi pactione ad ſimilitudinem arbitrorum apud Judæos [12] in civili duntaxat negotio putaverint litigandum; ſortiri eorum judicium jure publico non vetentur. Eorum etiam ſententias Judices exequantur, tanquam ex ſententia cognitoris arbitri dati fuerint. Dat. 6. Non. Febr. HONOR. A. IV. & EUTYCHIANO CONSS. 398.

De pretio rerum venalium.

9. Iidem AA. ad Judæos.

NEmo [13] exterus [14] religionis Judæorum, Judæis pretia ſtatuet, cum venalia proponunt: Juſtum [15] eſt enim ſua cuique committere. Itaque Rectores provinciarum vobis nullum diſcuſſorem [16] aut moderatorem eſſe concedent. Quod ſi quis ſumere ſibi curam (præter vos, proceresque [17] veſtros) audeat: eum velut aliena appetentem, ſupplicio coërcere feſtinent. Dat. 4. Kal. Mart. *Conſt.* ARCADIO IV. & HONORIO III. AA. CONSS. 396.

De curiæ obnoxiis.

10. Iidem AA. & THEODOSIUS A. Eutychiano P. P.

QUicunque [18] ex Judæis obnoxii curiæ [19] comprobantur, curiæ mancipentur. Dat. 3. Kal. Jan. THEOD. A. I. & RUMORIDIO CONSS. 403.

De ſolemnibus. De ſancta cruce.

11. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Anthemio P. P.

JUdæos [20] quosdam [21] feſtivitatis ſuæ ſolemnia [22] ad pœnæ quondam recordationem [23] incendere [24], & ſanctæ [25] crucis adſimulatam ſpeciem in contemptum Chriſtianæ fidei ſacrilega mente exurere, provinciarum Rectores prohibeant: neve locis ſuis fidei noſtræ ſignum immiſceant, ſed ritus ſuos citra contemptum Chriſtianæ legis [26] retineant; amiſſuri ſine dubio permiſſa hactenus, niſi ab illicitis temperaverint. Dat. 4. Kal. Jun. *Conſt.* BASSO & PHILIPPO CONSS. 408.

De cœlicolis, & eorum ædificiis.

12. Iidem AA. Jovio P. P.

COelicolarum [27] nomen inauditum quodammodo novum crimen ſuperſtitionis vindicavit. Hi niſi ad Dei cultum venerationemque Chriſtianam converſi fuerint, his legibus, quibus præcipimus hæreticos adſtringi, ſe quoque noverint adſtringendos. † Ædificia autem eorum, quæ neſcio cujus novi dogmatis conventus habent, eccleſiis vindicentur. Certum [28] enim eſt, quidquid a fide Chriſtianorum diſcrepat, legi Chriſtianæ eſſe contrarium. Dat. Kalend. April. *Ravennæ*, HONOR. VIII. & THEOD. III. AA. CONSS. 409.

De feſtivitatibus.

13. Iidem AA. Jovio P. P.

DIe [29] Sabbati ac reliquis ſub tempore, quo Judæi cultus ſui reverentiam ſervant, neminem aut facere aliquid, aut ulla ex parte conveniri [30] debere præcipimus: ita [31] tamen, ut nec illis detur licentia eodem die Chriſtianos orthodoxos convenire, ne Chriſtiani forte ex interpellatione Judæorum ab officialibus, præfatis diebus aliquam ſuſtineant moleſtiam: cum fiſcalibus commodis, & litigiis privatorum conſtet reliquos dies poſſe ſufficere. Dat. 8. Kal. A. *Ravennæ*, DD. NN. HONORIO VIII. & THEOD. Aug. III. CONSS. 409.

Ne Judæi lædantur, & ne inſoleſcant.

14. Iidem AA. Philippo P. P. per Illyricum.

NUllus [32] tanquam Judæus, cum ſit innocens [33], obteratur, nec expoſitum eum ad contumeliam religio qualiscunque perficiat [34]; non paſſim eorum Synagogæ, vel habitacula concrementur, vel perperam ſine ulla ratione lædantur: cum alioquin, etiam ſi ſit aliquis ſceleribus implicitus, idcirco tamen judiciorum vigor, jurisque publici tutela videtur in medio conſtituta, ne quisquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem. Sed ut in hoc perſonis Judæorum volumus eſſe proviſum; ita id quoque monendum eſſe cenſemus, ne Judæi forſitan inſoleſcant, elatique ſui ſecuritate, quicquam præcipites in Chriſtianam reverentiam ultionis admittant. Dat. 8. Idib. Aug. HONORIO IX. & THEOD. V. AA. CONSS. 412.

1 *l.* 2. *C. Theod. de nuptiis.* *l.* 3. *l.* 4. *C. Theod. ad leg. Jul. de adult. lib.* 9. 2 Etiam ſi publica & vulgaris ſit mulier. vid. Covar. *in epitom.* 4. *decret.* 2. *part.* 6. §. 11. *num.* 3. Gomez. *in c. mulieres*, *num.* 12. *de Judæis in* 6. 3 Judæus neque Chriſtianam ducere: nec Chriſtiana Judæo nubere legitime poteſt, quin adulterii vicem id crimen obtinet, J. *h. t.* Eadem prohibitio locum habet in aliis etiam ſectis; ut ſic catholici cum impiis connubium non habeant. *Geneſ.* 6. *verſ.* 2. *Exod.* 34. *v.* 15. 16. *Deut.* 7. *v.* 2. 3. 4. *Judic.* 3. *v.* 6. 1. *Reg.* 3. *v.* 1. & *cap.* 11. *verſ.* 2. *Ezræ* 9. *v.* 1. 2. & *c.* 10. *v.* 2. 18. *Nehem.* 10. *v.* 30. & *c.* 13. *v.* 23. 24. 25. 26. 27. 2. *Cor.* 6. *v.* 14. 15. 16. Goth. Adde *l.* 16. J. *de Epiſcopal. aud.* *l. pen. in fin.* J. *de Sponſal. Pr. Inſtit. de Nupt.* *l.* 17. *ff. de ſtatu homin.* Mozz. *de Contrahend. matrim. n.* 25. Treutler. *de Sponſ. th.* 1. *litt. e.* Anſ. In hanc legem vide etiam Alciat. 2. *Parerg. c.* 22. Menoch. *de arbitr. jud. caſ.* 290. Covarruv. *in epit. ad lib. decret.* 2. *part. cap.* 6. §. 11. *num.* 3. Boër. *deciſ.* 316. *num.* 5. S. L. 28. *quæſt.* 1. *can. cave.* 15. *can. non oportet.* 16. vid. *Concilium Laodicenum, c.* 31. *Chalcedonenſe c.* 14. & *Carthaginenſe c.* 21. Tertull. 2. *ad uxor.* Cyprian. 3. *ad Quirinum*, Auguſt. 1. *de adult. conjug.* Demus ſponſalia contracta eſſe? etiam contracta reſcindi debent, *l. pen. verſ. Sin vero.* J. *de ſponſalib.* Demus non orthodoxos inter ſe matrimonium re ipſa contraxiſſe? utique conſtabit matrimonium; habent enim hæretici ſua conjugia, ut & Turcæ & Ethnici. Demus alterum conjugatorum orthodoxum fieri? demus e contrario, unum ex duobus orthodoxis in hæreſim labi? vetat Paulus fidelem ab infideli diſcedere: ſi tamen diſcedat, manere innuptum jubet. 1. *Corinth.* 7. *verſ.* 10. 11. 12. Poteſt ergo fidelis ſola thalami ſive thori ratione ſeparari, *dicto verſ.* 11. idque Gregorius IX. etiam voluit, *cap. ult. extr. de converſ. conjugator.* Hinc conſtat, propter hæreſim matrimonii vinculum non ſeparari. vide *ſynodum Tridentinam*, *ſeſſione penultima.* Quod cum ita ſit, abrogatur Canon 76. Synodi ſextæ *Conſtantinopolitanæ* habitæ *in Trullo*, qui jubet hujusmodi matrimonium ἄκυρον ἡγεῖσθαι, καὶ ἄθεσμον διαλύεσθαι, id eſt, irritum fieri, atque illicitum diſſolvi. Redeamus ad thori ſeparationem. Eane ultro fieri a fideli poteſt? An vero judicium Eccleſiæ requiritur? Urbanus negat requiri præciſe, cogi tamen eo caſu mulierem reverti ad virum pœnitentem: quæ alias invita non cogeretur, ſi judicio eccleſiæ divertiſſet, *c. de illa.* 6. *extr. de divortiis.* Jam demus orthodoxum cum infideli (nunc enim non loquor de Judæo, Saraceno, Pagano & ſimilibus, ſed hæretico) qui Chriſtum invocat, ſcienter contraxiſſe, ac mox pœnitere velle: num audietur? dicetur alibi. 4 Etiam ſi illa ſit meretrix, & corpore quæſtum faciat. Didacus Covarruv. *in Epitom. ad* 4. *lib. Decret.* 2. *part. cap.* 6. §. 11. *num.* 3. contra Gomeſium *ad cap. mulieres. num.* 12. *de judic. in* 6. ſed quid ſi alioqui rem cum Chriſtiana habeat Judæus? qua tum pœna plectendus erit? anne arbitraria, ut Oldradus voluiſſe videtur, *conſ. ult.* ubi etiam dicit vidiſſe ſe hoc nomine cujusdam Judæi virilia publice ſuſpenſa, & expoſita, an potius capitali, ut pluribus viſum eſt? ſuper hac quæſtione vide plene Decium *ad l.* 1. *col.* 2. *num.* 20. *de ſer. fugit.* Gand. *in tract. maleſic. in Rubr. de raptu. num.* 7. Barbar. *conſ.* 63. *lib.* 4. Bertac. *in verb. Judæus.* Cornel. *conſ.* 114. *lib.* 1. iterum Decium *ad cap.* 1. *n.* 17. *de conſtit.* Boërium *deciſ.* 316. Menochium *in tract. de arbitr. Jud. lib.* 2. *cent.* 3. *caſ.* 290. *n.* 2. Mod. 5 Et ita capitale crimen erit. Quærit Alciatus 7. *Parerg.* 123. quo ſupplicio afficiendus ſit, qui cum Judæa rem habuerit? notat autem ut adulterum puniri, ſi animo contrahendi matrimonii: ſin minus, extraordinaria pœna, qua de re vide alia quædam apud Clarum 5. *ſententiar.* §. *fornic.* 5. *verſ. cum Judæis.* 6 Non omnem tamen, nam & apud eos vetitæ ſunt nuptiæ inter aſcendentes, & deſcendentes, ſed & inter collaterales certis gradibus: morem itaque intellige eum qui ſequitur: poſſis & addere jus ſuſcitandi ſeminis fratri mortuo, *Geneſ.* 39. *Deut.* 25. *v.* 5. 7 Sed juxta leges communes, *Synopſis Baſilicon* 1. *tit.* 1. *ex lib.* 60. *tit.* 39. *ex cap.* 33. 34. 35. 8 *Novell.* 89. *cap.* 12. §. 5. 6. Harmen. 4. *cap.* περὶ τῶν ἐχόντων δύο γυναῖκας, *l.* 5. J. *de donat. ante nupt.* Duæ ſunt polygamiæ ſpecies. Prior, quoties duæ uno tempore habentur uxores. Altera, quoties priore mortua, altera ducitur. De priore ſpecie hic agitur, de qua ſi quæras Jure divino num admitti debeat? Reſpondeo, non admitti. At, inquies, nullibi prohibitam. Dices etiam dilectæ & exoſæ uxoris, *Deut.* 21. *v.* 15. & plurium uxorum, 2. *Sam.* 12. *verſ.* 8. mentionem fieri: Patriarchis quoque veteris teſtamenti plures uxores fuiſſe? *Geneſ.* 4. *v.* 19. & *cap.* 22. *v.* 24. *Judic.* 8. *v.* 30. 1. *Chronic.* 3. *v.* 9. 2. *Chron.* 13. *v.* 21. Polygamiam in eccleſia Chriſtiana receptam, *arg.* 1. *Timoth.* 3. *v.* 8. & ab Athenienſibus, 15. *Gell.* 20. Polygamiam non repugnare neceſſariis ad ſalutem: uſitata divortia ejus beneficio evitari: non inconveniens eſſe, ut uni capiti plura ſint membra? Reſpondeo. In rebus controverſis ad initia recurrendum. *Matth.* 19. *v.* 8. ab initio ita non fuiſſe conſtat evidentiſſime. Nota ſunt enim hæc, Erunt duo in carne una, *Geneſ.* 2. *verſ.* 24. *Matth.* 19. *v.* 5. *Luc.* 16. *v.* 18. *Nov. Leonis* 30. *in fin.* ſuam quisque uxorem & proprium quæque virum habeat. 1. *Cor.* 7. *v.* 2. Quin ſi naturæ rationem quærimus, ipſa generatio non perficitur, niſi ex duobus: ſi amorem conjugalem, ſolidus inter duos tantum eſſe poteſt: nec ſic erit individua vitæ conjunctio, ſi utrique pluribus adhærere permiſſum eſt. Ad hæc, ſi ſpectabimus id quod homo per ſe poteſt, unus pluribus non ita poſſit ſufficere: ſi æquitatem, plures mariti uxori permittendi eſſent: ſi liberorum & familiarum certitudinem, ſi parentibus honorem debitum, tollendus maritorum aut uxorum ille numerus: ſi jurisprudentes, & eos quidem vel Ethnicos in conſilium adhibueris, Polygamiam non probabunt. *l.* 1. *in fin. ff. de his qui notant.* ſi Imperatores, iidem Polygamiam vetuerunt, *ut hic.* *l.* 2. J. *de inceſtis & inutil.* *l.* 18. *in pr.* J. *ad L. Jul. de adult. Nov.* 18. *cap.* 5. *verſ. ſicut enim quis legitime uxori conjunctus.* Conſtat igitur, nec eandem duobus nuptam eſſe poſſe, nec eidem licere eodem tempore duas uxores habere. §. 6. *Inſt. de nupt.* *l.* 15. §. 4. *ff. de manumiſſ. vindicta.* ut jam duæ Jacobi uxores, gregesve concubinarum Salomonis ad Chriſtianos non pertineant. Quid quod uxorem habenti concubinam apud Romanos habere non licuit, *l. unic.* J. *de concubinis.* Paul. 2. *ſent.* 20. §. *unic.* & quod magis mirere, unicam tantum concubinam, non plures. vid. Cujac. *ad Novell.* 18. *cap.* 5. *Nov.* 89. *cap.* 12. §. 5. 9 *l.* 10. *C. Th. de Jurisdictione*, & *ubi quis conveniri debeat. lib.* 2. *tit.* 1. Judæi ſecundum jura communia vivant & conveniantur. *Synopſ. Baſil.* 1. περὶ Ἰουδαίων. *c.* 36. 10 Judæi ligantur legibus, conſtitutionibus & ſtatutis loci. immunitasque conceſſa hominibus alicujus loci certi, extenditur etiam ad Judæos ibidem habitantes: ut & ſalvus conductus datus alicui cum ſociis, pertinet etiam ad Judæos, qui in comitatu ejus ſunt, habent enim Judæi, quæ ſunt civium Romanorum. Felinus *cap.* 1. 10. *col. verſ. fallit.* 5. *de conſtit.* Angelus *ad l. utimur. ff. de ſepulchro violato.* Bald. *in l. Spadones.* §. *tam autem. de excuſ. tutor.* Alexand. *conſ.* 75. *fol.* 1. *verſ. Item hac parte adduco.* Pariſ. *late conſ.* 2. *in pr. lib.* 4. Decius *in l. fugitivi. de ſer. fugit.* Corn. *conſ.* 114. *lib.* 1. Goſad. *conſil.* 24. *col. penult.* Ferra. *caut.* 24. Rom. *conſil.* 155. *ad finem.* Jaſon. *ad l.* 3. §. *in earum. num.* 10. *ff. de jurejur.* Afflict. *dec.* 151. iterum Decius *ad cap.* 1. *n.* 90. *extr. de probat.* Mod. 11 Judæi, ſi pactione communi apud Judæos in negotio pecuniario, vel civili litigabunt, valebit ſententia, tanquam legitimi cognitoris & arbitri dati, eamque judices exequantur, *Synopſis Baſil. d. c.* 36. 12 Archiſynagogi Judæorum, arbitri inter ſuos eſſe poſſunt. huc refer *l.* 7. *ſupr. de epiſc. aud.* 13 *l.* 10. *C. Th. de Judæis lib.* 16. 14 Puta Chriſtianus idemque privatus officialis, *l. nemo.* 10. *C. Th. de Judæis.* 1. *Eclog.* 11. *c.* 37. At non præſes. *in fin.* J. *h. t.* *l.* 1. §. 4. *ff. de offic. præf. urb.* 15 Suæ rei quisque juſtus eſt moderator & arbiter. *l.* 70. *ff. de rei vind.* *l.* 21. J. *mandati.* *l.* 9. *ff. rer. amot.* *l.* 2. *ff. ſi a parent. quis manumiſſ.* *l.* 13. §. *ult. ff. de injur.* *l. ult. ff. ad l. Jul. de annona.* *l.* 9. §. 3. *ff. de acquir. rerum dom.* §. 40. *Inſt. de rerum diviſ.* hinc colligunt, heredem prohiberi non poſſe a teſtatore, ne res proprias diſtrahat. vid. quæ notavi *ad l.* 55. *ff. de leg.* 1. 16 Diſcuſſoris munus inter cætera fuit rebus venalibus pretia ſtatuere. 17 ἐξάρχους vocat autor Synopſeos Baſilic. 1. *tit.* 1. περὶ Ἰουδαίων, *c.* 37. 18 *l.* 165. *C. Th. de decurionib. lib.* 12. 19 *l.* 5. J. *h. t.* 20 *l.* 18. *C. Th. de Judæis*, *lib.* 16. 21 Quodam *l. Judæis C. Th. h. t.* 22 Solenni Aman. ita legitur in *C. Th. l. Judæos titul. de Judæis.* de qua ſolennitate, vid. *hiſt. Eſther*, *c.* 11. *verſ.* 21. & *Joſeph.* 11. 23 Sumptæ ſcil. de Amano. 24 Puto legendum, *incedere*, ut ſpeciem quandam ambarvalium demonſtret. 25 Senſus eſt, Judæi in memoriam crucifixi Amanis, annuatim crucem ligneam contumeliæ cauſa vicatim præferebant, eamque poſtea exurebant: inde quidam ex Judæis irridendæ paſſionis, & mortis Domini occaſionem arripiebant. 26 Invocatio enim divini nominis ab homine religionis alterius & ſectæ diverſæ videtur fieri in contemptum. vide Bart. *ad Rubric.* 1. *conſtitut. de C. inſtit. num.* 1. 2. ubi infert, Et quando Judæus contra fecerit, a quo ſit judice puniendus, ſecularine an eccleſiaſtico. Guid. Papæ *q.* 63. Felin. *ad cap. poſtulaſti. num.* 4. & *ſequen. ext. de Jud.* Hipp. Rim. *inter conſil. diverſ. ad caut. ult. volunt. conſil.* 165. *vol.* 1. & præter hos Conſtantium Landum *prætermiſſ. cap.* 12. & Jacobum Cujacium *obſerv. lib.* 12. *cap.* 30. Mod. 27 Cœlicolarum nomen inauditum & ſuperſtitioſum, *ut hic*, & in Epigraphe hujus tituli, & *l.* 3. J. *h. t.* Adde *l.* 19. *C. Th. de Judæis in pr. lib.* 16. Horum dogma novum appellant Imperatores *ut hic.* Synopſis Baſilicῶν *lib.* 1. *cap.* περὶ αἱρετικῶν eos appellat σεβομένους τὸν οὐρανὸν, cœlum colentes, Sophonias reprehendit quosdam ex Judæis, qui militiam cœli colerent: ad quos Juvenalis videtur alluſiſſe, *Sat.* 14. *verſ.* 92. *Nil præter nubes & cœli numen adorant:* & Petronius *in Catalectis* loquens de Judæo: *Et cœli ſummas advocat auriculas:* ſed hi ad Chriſtianorum hæreticos non pertinent. Auguſtinus *epiſt.* 163. refert majorem cœlicolarum novi apud Donatiſtas baptiſmi autorem fuiſſe: erant enim cœlicolis majores. *l.* 3. J. *h. t.* v. *hic* Cujac. Conſtat tamen ex hac lege, Cœlicolarum nomen Honorii & Theodoſii tempore inauditum, & quodammodo novum fuiſſe, & novi dogmatis conventus habuiſſe *hac lege*, ſuos eſſe, item majores & patriarchas. *l.* 3. J. *h. t.* An Judæorum Chriſtiani fuerint & Eſſenorum portio: & ab eis Meſſaliani profecti, & Cœlicolæ dicti, quod eorum προσευχαὶ eſſent ἐν ἀέρι καὶ αἰθερίῳ τόπῳ, in Commentariis ad hunc locum noſtris, plenioribus olim, Deo dante dicemus. 28 Qui non eſt mecum, contra me eſt. *Accurſ.* 29 *l.* 3. *C. Theod. de feriis*, *lib.* 2. Adde *Novell. Leon.* 83. 30 Die ſabbathi Judæi nec conveniri, nec convenire alios poſſunt: Cujac. 3. *de præſ.* 31 *l.* 1. *in pr. ff. quod quisque juris.* 32 *Lex* 21. *C. Th. de Judæis.* Nemo Judæos nihil delinquentes violet: aut ſynagogas eorum, aut habitacula concremet: Quod ſi quid deliquerunt, apud judicem accuſantor. Non tamen ulli Judæo fas eſto quidquam contra reverentiam Chriſtiani cultus inſolenter admittere. *Synopſis Baſil. ibid. c.* 39. & 40. 33 Judæi innocentes non ſunt offendendi. adde *l.* 6. J. *de pagan. & ſacrif.* 1. *Ecl.* 1. περὶ Ἰουδαίων *cap.* 31. *fol.* 2. 34 Ad hunc locum volunt proprie quidam pertinere illam quæſtionem, an ſit licitum Principibus Chriſtianis infidelibus bellum religionis ergo indicere: de qua vide Oldradum *conſil.* 72. *in tit. de Judæis & Sarac.* Mod.

De

De judice competenti.

15. Iidem AA. Aureliano P. P.

SI [1] qua [2] inter Chriſtianos & Judæos ſit contentio, non a Senioribus Judæorum, ſed ab Ordinariis [3] judicibus dirimatur. Dat. 13. Kal. Novemb. HONOR. XII. [4] & THEOD. VIII. AA. CONSS. 418.

De circumciſione.

16. Iidem AA. Aſclepiodoto P. P.

JUdæi & bonorum [5] proſcriptione, & perpetuo exilio damnabuntur, ſi noſtræ fidei hominem circumcidiſſe [6] eos, vel circumcidendum mandaſſe conſtiterit. Dat. prid. [7] Kalend. Februar. THEODOS. XVII. & FESTO CONSS. 439.

De anniverſario canone.

17. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Joanni Comiti ſacrarum largitionum.

JUdæorum [8] primates, qui in utriusque Palæſtinæ ſynedriis [9] dominantur, vel in aliis provinciis degunt, periculo ſuo anniverſarium canonem de ſynagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigant, ad eam formam, quam Patriarchæ quondam coronarii [10] auri nomine poſtulabant: & hoc, quod de Occidentalibus Patriarchis conferri conſueverat, noſtris largitionibus inferatur. Dat. 3. Kalend. Jun. *Conſtantinop.* FLORENTIO & DIONYSIO CONSS. 429.

De Judæo Chriſtianum ad ſuam religionem traducente.

18. Idem * Græca conſtitutio ex lib. 60. Baſil. titul. 54. cap. 31. & Nomocan. titul. 9. cap. 25.

JUdæus, qui eum qui Judaicæ religionis non eſſet, contraria doctrina ad ſuam religionem traducere [11] præſumpſerit, bonorum proſcriptione damnetur, miſerumque in modum puniatur.

Eadem conſtitutio Græce & Latine ex Baſil. lib. 1. ex lib. 60. tit. 54. cap. 31.

SI [12] Judæus pertrahere Chriſtianum ad religionem ſuam auſus fuerit, proſcribitur, & ſanguinis pœnam ſuſtinet.

De adminiſtrationibus & dignitatibus. 1. *De ſynagogis.*

19. Iidem AA. Florentio P. P.

HAc valitura in omne ævum lege ſancimus, neminem [13] Judæorum, quibus omnes [14] adminiſtrationes & dignitates interdictæ ſunt [15], nec Defenſoris civitatis fungi ſaltem officio, nec patriæ [16] honorem arripere concedimus: nec adquiſiti ſibi officii auctoritate muniti, adverſus Chriſtianos, & ipſos plerunque ſacræ religionis Antiſtites, veluti inſultantes fidei noſtræ, judicandi, vel pronunciandi quamlibet habeant poteſtatem. §. 1. Illud etiam pari conſideratione rationis arguentes, præcipimus, ne [qua] Judaica ſynagoga in novam fabricam ſurgat [17]: fulciendi [18] veteres permiſſa licentia, quæ ruinam minantur [19]. §. 2. Quisquis igitur, vel infulas acceperit, quæſitis dignitatibus non potiatur: vel [ſi] ad officia vetita irrepſerit, ab his penitus repellatur: vel [ſi] Synagogam extruxerit, compendio Catholicæ Eccleſiæ noverit ſe laboraſſe. Et qui ad honores [& dignitates] irrepſerit, habeatur, ut antea conditionis extremæ, etſi honorariam [illicite] promeruerit dignitatem. Et qui Synagogæ fabricam cœperit, non ſtudio reparandi, cum damno [20] quinquaginta librarum [auri] fraudetur auſibus ſuis. Cernat præterea bona ſua proſcripta, mox pœnæ ſanguinis deſtinandus, [quaſi] qui fidem alterius expugnavit perverſa doctrina. Dat. Prid. Kal. Febr. THEODOS. A. XVII. & [FESTO [21]] CONSS. 439.

TIT. X.

NE [22] CHRISTIANUM MANCIPIUM HÆRETICUS, VEL JUDÆUS, VEL PAGANUS HABEAT, VEL POSSIDEAT, VEL CIRCUMCIDAT.

1. Impp. HONOR. & THEODOS. AA. Monaxio P. P.

JUdæus [23] ſervum Chriſtianum nec comparare debebit, nec largitatis, vel alio quocunque titulo conſequetur. Quod ſi aliquis Judæorum mancipium, vel Chriſtianum habuerit, vel ſectæ alterius, ſeu nationis crediderit ex quacunque cauſa poſſidendum, & id circumciderit: non ſolum mancipii damno multetur, verum etiam capitali [24] ſententia puniatur [25]: ipſo ſervo pro præmio libertate donando. Dat. 4. Idib. April. *Conſtantinop.* HONOR. A. XI. & CONSTANTIO V. C. II. CONSS. 417.

2. *Conſtitutionis Græcæ epitome ex lib. 60. Baſil. ex* [illegible] *judice* κατηγοριῶν *& ex collectione Græca conſtitutionum eccleſiaſticarum, & aliis auctoribus.*

GRæcus [26] [ſeu Paganus] & Judæus & Samaritanus [27], & alius hæreticus, id eſt, non exiſtens orthodoxus non poteſt Chriſtianum mancipium habere, neque catechumenum [28] circumcidere [29]; quia & poſt nunc Chriſtianum ad libertatem pervenit, & qui poſſidet, dat privatis [largitionibus] triginta libras.

TIT. XI.

DE PAGANIS [30], ET SACRIFICIIS, ET TEMPLIS.

De templis Paganorum claudendis. 1. *De ſacrificiis prohibitis.* 2. *Sanctio.*

1. Imp. CONSTANTIUS ad Taurum P. P.

PLacuit [31] omnibus locis, atque urbibus univerſis claudi [32] protinus templa, & acceſſu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. §. 1. Volumus etiam cunctos ſacrificiis [33] abſtinere. §. 2. Quod ſi aliquid forte hujuſmodi perpetraverint, gladio [34] ultore ſternantur, facultates etiam perempti fiſco decernimus vindicari, & ſimiliter puniri [35] Rectores provinciarum, ſi facinora vindicare neglexerint. Dat. Kal. Decembr. CONSTANTIO IV. [36] & CONSTANTE AA. CONSS. 342.

De ſacrificiis prohibitis.

2. Imppp. THEOD. GRAT. & VALENT. [37] AAA. Cynegio P. P.

NE [38] quis mortalium ita faciendi ſacrificii [39] ſumat audaciam, ut inſpectione jecoris, extorumque [40] præſagio vanæ ſpem promiſſionis accipiat, vel (quod eſt deterius) futura ſub execrabili conſultatione cognoſcat. Acerbioris etenim imminebit ſupplicii cruciatus ei, qui contra vetitum, præſentium vel futurarum rerum explorare tentaverit veritatem. Dat. 7. [41] Kal. Jun. ARCAD. & BAUTONE CONSS. 385.

De ſacrificiis, de publicorum operum ornamentis.

3. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Macrobio P. P. Hiſpaniarum & Procliano Vicario quinque provinciarum.

SIcut [42] ſacrificia templorum prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta [43] ſervari. Ac ne ſibi aliqua auctoritate blandiantur, qui ea conantur evertere, ſi quod reſcriptum, ſi qua lex forte prætenditur: abreptæ hujuſmodi chartæ ex eorum manibus ad noſtram ſcientiam referantur. Dat. 4. Kal. Febr. *Raven.* THEOD. V. C. CONS. 399.

De ritibus & feſtis.

4. Iidem AA. Apollodoro Proconſuli Africæ.

UT [44] profanos ritus jam ſalubri lege ſubmovimus, ita feſtos conventus civium & communem omnium lætitiam non patimur ſubmoveri. Unde abſque ullo ſacrificio [45], atque ulla ſuperſtitione damnabili, exhiberi populorum voluptates, ſecundum veterem conſuetudinem, miniſtrari etiam feſta convivia, quando exigunt publica vota, decernimus. Dat. 13. Kal. Sept. *Patavii*, THEOD. V. C. CONS. 399.

De veteribus templis.

5. Impp. HONOR. & THEOD. AA. populo Carthaginienſi.

OMnia [46] loca, quæ ſacris error veterum deputavit, noſtræ [47] rei jubemus ſociari. Quod autem ex eo jure ubicunque ad ſingulas quaſcunque perſonas vel præcedentium Principum largitas, vel noſtra majeſtas voluit pervenire, id in eorum patrimoniis æterna [48] firmitate perduret. Ea vero quæ multiplicibus conſtitutis ad venerabilem Eccleſiam voluimus pertinere, Chriſtiana ſibi merito religio vindicabit. Dat. 3. Kal. Septembr. *Ravennæ*, HONORIO X. & THEODOSIO VI. AA. CONSS. 415.

1 Pars quædam *legis* 22. *C. Theod. de Judæis.* 2 *l.* 22. *l.* 78. *C. Th. h. t.* 3 Judæus actor vel reus forum Chriſtiani ſortitur. *Sal.* 4 In Cod. Th. *Honorio X. & Theodoſio VI. AA. Conſſ.* id eſt, A. 415. Recte. 5 Pars ultima *legis* 26. *C. Theod. de Judæis.* 6 *l.* 28. *C. Th. h. t.* 1. *Eclog.* 1. *cap.* περὶ Ἰουδαίων 41. 42. *ex lib.* 20. *t.* 39. 40. 7 In Cod. Th. *V. Id. Apr. Conſtant. Aſclepiodoto & Mariniano Coſſ.* id eſt, A. D. 423. Recte. 8 *l. ult. C. Th. h. t.* 9 Vid. *l. ult. ff. de decretis ab ordine faciend.* 10 Vid. *l.* 1. *J. de auro coronario.* 11 *Eclog. d. loco cap.* 31. 12 Interpretatio Leunclavii. vid. *d. c.* 31. 13 Pars Novellæ Theodoſii *de Judæis, Samaritanis, hæreticis & Paganis* 3. 14 Judæi arceantur ab honoribus. 15 De publicis non dubium: ſed an etiam privatæ adminiſtrationes? vide Jaſ. *ad Rubr. ff. de Juſtit. & Jur.* [illegible]

dicitur: *capitalis fraus eſt, propter quam quis capite punitur*, de quo Afflict. *deciſ.* 404. *n.* 14. Mod. 26 Interpr. Contii. 27 *Nov.* 129. 144. 28 *Catechumeni* ſunt adjutores baptiſmo deſignati. 29 Vid. Greg. *epiſt.* 3. *c.* 21. *Nov.* 144. *c.* 2. *in fin.*

30 *L.* 16. *C. Th.* 10. περὶ ἑλλήνων 1. *Syn. Baſil.* 1. *c.* 3. περὶ ἑλληνιζόντων 6. *Harmen.* 11. id eſt, de Græcis, ita dictos opinor, quod initio naſcentis Eccleſiæ inter cæteras gentes, Græci obſtiterint Evangelio; Pagani vero quaſi in pagis viventes, alieni a civitate Dei, *Optat.* Puto paganos ob contemptum vocatos fuiſſe, quaſi diverſos a Chriſtianis Chriſto militantibus, & Chriſtianis ignobiliores. Nam & in jure, pagani militibus opponuntur; Gentiles vero Ethnicos, & nationes dictos opinor, comparatione habita ad Chriſtianos, qui numero erant pauciſſimi: vel ita Chriſtiani cum initio pauci eſſent, Idololatras Gentiles, & Nationes appellarunt: cum eos autem in ordinem redegiſſent, paganos nuncuparunt quaſi in pagis non in urbibus, ut olim viventes. 31 *l.* 4. *C. Theod. h. t.* adde Alciat. 1. *parerg.* 13. ubi elegantem recitat locum ex Caſſiodoro. 32 Conſtantinus templa Paganorum claudi jubet. 8. Niceph. 18. & 25. 26. *C. Th.* 10. *c.* 4. 33 6. Harm. 11. *d. cap.* 4. Adde *l.* 2. *l.* 7. *J. h. t.* vid. quæ notavi de vetitis ſacrificiis ad *l.* 13. *ff. ad l. Corn. de ſicar.* adde *l. un. J. de theſaur.* Paul. 5. *ſent.* 3. §. 9. 34 Pœna Gentiliſmi & ſacrificantium: & ita deterior conditio Paganorum quam Judæorum, quorum ſecta prohibita non eſt. 35 Rector provinciæ negligentiæ punitur. 36 in C. Theod. *Conſtantio III. & Conſtante II. AA. Conſſ.* ſed neutrum rectum: reponendum enim *Conſtantio VI.* id eſt, A. D. 353. *I. G.* 37 Tribuenda hæc lex *Valentiniano, Theodoſio, & Arcadio. I. G.* 38 *d. l.* 9. *C. Theod. h. t.* adde Niceph. 18. *c.* 4. 39 *l.* 1. §. 1. *J. h. t.* 40 Extiſpicina prohibita. 41 8. *C. Theod. h. t.* 42 *l.* 15. *C. Th. h. t.* 43 Qualia ſunt in urbibus, nam templa, quæ in agris, aut abditis locis conſtituta, nulla ornamenta habebant. Patres in Concilio Africano deſtrui poſtulant. Eo munere, ſi quis unquam ſtrenue B. Martinus apud Gallos ſuo tempore functus eſt. vid. Sulpit. *in ejus vita.* 44 *l.* 17. *C. Theod. h. t.* 45 Sacrificia ſuperſtitioſa Gentilium vetita, at non voluptates, feſtique conventus & feſta convivia in iis obſervari ſolita, *ut hic*, ut nec templa eorum ideo everſa, *l.* 3. *J. h. t.* 46 Pars legis 20. *C. Th. h. t.* 47 Occupabantur plerumque a monachis. *l.* 26. *J. de epiſc. & clericis.* Igitur ex hoc loco poſſis colligere Templa Paganorum Principis facta fuiſſe, non eccleſiæ. 48 Dominium Principis alienari non poſſe, hinc colligunt: apud Gallos id ita obſervatur: & merito: nam quæ provinciæ a populo regi adferuntur vel traduntur, dotis publicæ locum obtinent: ideoque, ut mulieris dos alienari non poteſt, ita nec Regis dominium. Atqui ſecundo genitis Regis liberis certæ provinciæ adſignantur? Sic ſane: ſed earum dominium a Corona non abſcinditur. Quemadmodum etiam poſſeſſiones quædam patrimoniales in privatos transferuntur, autoritate curiæ Pariſienſis accedente, ſalvo tamen ſemper regis dominio. vid. Papon. 5. *Arreſt.* 10. Dominia regnorum inalienabilia ita cenſentur. Jus tamen belli nonnunquam ab iſta regula diſcedit.

De

De Judæis vel Paganis non lædendis.

6. Iidem AA. Aſclepiodoto P. P.

CHriſtianis [1], qui vere ſunt, vel eſſe dicuntur, ſpecialiter demandamus; ut Judæis, ac Paganis quiete [2] degentibus nihilque tentantibus turbulentum, legibusque contrarium, non audeant manus inferre religionis auctoritate abuſi. Nam ſi contra ſecuros fuerint violenti, vel eorum bona diripuerint: non ea ſola, quæ abſtulerint, ſed convicti in duplum quæ rapuerint, reſtituere compellentur. Rectores etiam provinciarum, & Officia, & Principales [3] cognoſcant ſe, ſi non ipſi talia vindicent, ſed fieri a popularibus hæc permiſerint, ut eos, qui fecerint, puniendos. Dat. 6. Id. Jun. *Conſtantin.* ASCLEPIODOTO & MARINIANO CONSS. 423.

De delubris, ſimulachris, ſacrificiis & ritibus.

7. Impp. VALENT. & MART. AA. Palladio P. P.

NEmo [4] venerandi adorandique animo delubra [5], quæ olim jam clauſa ſunt, reſeret. Abſit a ſeculo noſtro infandis execrandisque ſimulachris honorem priſtinum reddi, redimiri [6] ſertis templorum impios poſtes, profanos aris accendi ignes, adoleri in hisdem thura, victimas cædi, pateris vina libari, & religionis loco exiſtimari ſacrilegium. Quisquis autem contra hanc Serenitatis noſtræ ſanctionem, & contra interdicta ſanctiſſimarum veterum conſtitutionum ſacrificia exercere tentaverit: apud publicum Judicem reus tanti facinoris legitime accuſetur, & convictus proſcriptionem omnium bonorum ſuorum, & ultimum [7] ſupplicium ſubeat. Conſcii etiam criminis, ac miniſtri ſacrificiorum eandem pœnam, quæ in illum fuerit irrogata, ſuſtineant: ut hac legis noſtræ ſeveritate perterriti, metu pœnæ deſinant ſacrificia interdicta celebrare. Quod ſi vir clariſſimus Rector provinciæ poſt accuſationem legitimam & poſt crimen in cognitione convictum, tantum ſcelus diſſimulaverit vindicare: quinquaginta libras auri ipſe Judex, quinquaginta etiam Officium ejus confeſtim fiſco noſtro inferre cogatur. Dat. Prid. Id. Novemb. MARTIA. A. & ADELPHIO CONSS. 451.

De his, quæ Paganis interdicta ſunt, non pertentandis.

8. Impp. LEO & ANTHEMIUS AA. Dioſcoro P. P.

NEmo ea quæ ſæpius Paganæ ſuperſtitionis hominibus interdicta ſunt, audeat pertentare: ſciens, quod crimen publicum committit, qui hæc auſus fuerit perpetrare. In tantum autem hujuſmodi facinora volumus eſſe reſecanda, ut etiamſi in alieno prædio vel domo aliquid tale perpetretur, ſcientibus videlicet dominis, prædium quidem, vel domus ſanctiſſimis juribus ærarii addicentur [8]: domini vero pro hoc ſolo, quod ſcientes conſenſerint ſua loca talibus contaminari ſceleribus, ſi quidem dignitate, vel militia quadam decorantur, amiſſione militiæ, vel dignitatis, necnon rerum ſuarum proſcriptione plectentur: privatæ vero conditionis vel plebeiæ conſtituti, poſt cruciatus corporis, operibus metallorum, aut perpetuo deputabuntur exilio.

De eo, quod paganis donatur, vel relinquitur. 1. *De paganorum impietatibus puniendis.*

9. *Græcæ conſtitutionis epitome ex præfata collectione & Nomocan. tit.* 6. *cap.* 3. *& titul.* 12. *cap.* 9.

SI [9] quid datum fuerit aut relictum locis, aut perſonis, aut ad conſtructionem Paganici erroris: urbs illud accipiet [10], in [11] qua perſonæ habitant, aut ſub qua loca ſubjacent: & expenduntur ad ſimilitudinem imperialium redituum. §. 1. Paganorum autem impietates puniunt Præſides: & quæ ſupra ſuam poteſtatem erunt, referent Imperatori.

1. *De Baptiſmo.* 4. *De ſacrificiis.* 5. *Ne pagani doceant. De publica annona.*

10. *Græcæ conſtitutionis epitome ex eadem collectione, & Nomocan.* [12] *titul.* 4. *cap.* 4. *& titul.* 1. *cap.* 10.

QUi [13] poſt ſanctum baptiſmum in errore paganorum manent, ultimo [14] ſupplicio plectuntur. §. 1. Qui vero nondum ſunt baptizati, ipſi cum liberis & conjugibus, & omnibus ſuis perducant ſe ad ſanctas eccleſias, & ſuos parvulos [15] liberos ſine mora baptizari [16] curent: majores vero prius ſcripturas ſecundum canones doceantur. §. 2. Si vero propter militiam, vel dignitatem, vel facultates habendas, fingant [17] baptizari; & liberos, aut conjuges ipſorum, aut domeſticos ſuos in errore reliquerint, & eos qui ſibi attinent, & neceſſitudine juncti ſunt: publicantur [18] & competenter plectuntur, & rempubl. non attingunt. §. 3. Si vero non ſint baptizati, nec participes erunt in ulla parte reipublicæ, neque domini erunt rerum mobilium, vel immobilium, ſed fiſcus ipſas vindicabit, & congrue punientur, & exulabunt. §. 4. Si autem apparuerint ſacrificantes, aut idololatrantes, ut [19] Manichæi puniuntur. §. 5. Non docent autem pagani qualemcunque doctrinam, neque publica fruuntur annona, nec ſecundum ſacram quidem formam.

TIT. XII.

DE [20] HIS, QUI AD ECCLESIAM [21] CONFUGIUNT [22], VEL IBI EXCLAMANT [23], [ET NE [24] QUIS AB ECCLESIA EXTRAHATUR].

De Judæis.

1. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Archelao P. Auguſtali.

JUdæi [25] qui reatu aliquo, vel debitis fatigati ſimulant ſe Chriſtianæ legi velle conjungi, ut ad Eccleſias confugientes evitare poſſint crimina [26], vel pondera debitorum, arceantur: nec ante ſuſcipiantur, quam debita univerſa reddiderint, vel fuerint innocentia demonſtrata purgati. Dat. 5. Kalend. Jul. *Conſtantinop.* CÆSARIO & ATTICO CONSS. 397.

Ne confugientes ad ſacras eccleſias inde abducantur.

2. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Jovino P. P.

FIdeli devotaque præceptione ſancimus, nemini licere ad ſacroſanctas Eccleſias confugientes abducere [27]: ſub hac videlicet definitione, ut ſi quisquam contra hanc legem venire tentaverit, ſciat ſe majeſtatis [28] crimine eſſe retinendum. Dat. 10. Kal. Apr. CONSTANTIN. & CONST. COSS. 414.

De ſpatio ad tuitionem confugientium conceſſo, & de armis.

Extat quidem hæc conſtitutio Græca integrior in 3. Synodi actis, ſed qualem Theodoſius, & poſt eum Juſt. in ſuum Cod. retulit, demptis videlicet proœmiis & epilogis, talem ex Cod. Theod. edidimus.

3. Impp. THEODOSIUS & VALENTINIANUS AA. Antiocho P. P.

PAteant [29] ſummi Dei templa timentibus: nec [30] ſola altaria [31] & oratorium [32] templi circumjectum, qui [33] eccleſias quadripartito parietum ſeptu concludit, ad tuitionem confugientium ſancimus eſſe propoſita: ſed usque ad extremas fores Eccleſiæ, quas oratum geſtiens populus primas ingreditur, confugientibus aram [34] ſalutis eſſe præcipimus: ut inter templum, quod parietum deſcripſimus cinctu, & poſt loca publica; [& [35]] januas primas eccleſiæ, quicquid fuerit interjacens, ſive [36] in cellulis, ſive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur. Nec in extrahendos eos conetur quisquam ſacrilegas manus immittere: ne qui hoc auſus ſit, cum diſcrimen ſuum videat, ad expetendam opem ipſi quoque confugiant. Hanc autem ſpatii [37] latitudinem ideo indulgemus, ne in ipſo Dei templo, & ſacroſanctis altaribus [38] confugientium quemquam mane vel veſpere cubare, vel pernoctare liceat: ipſis hoc Clericis religionis cauſa vetantibus: ipſos qui confugiunt, pietatis ratione ſervantibus. §. 1. Arma quoque in quovis telo, ferro, vel ſpecie, eos qui confugiunt, minime intra eccleſias [39] habere præcipimus: quæ non modo a ſummi Dei templis [40] ac divinis altaribus prohibentur, ſed etiam cellulis, domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus. §. 2. Proinde ii qui ſine armis ad ſanctiſſimum Dei templum, aut ad ſacroſanctum altare, ſive usquam gentium, ſive in hac alma urbe confugiunt, ſomnum intra templum, ſive ipſum altare, vel omnino cibum capere abſque aliqua eorum injuria, ab ipſis clericis arceantur, deſignantibus ſpatia, quæ in Eccleſiaſticis ſeptis eorum tuitioni ſufficiant, ac docentibus capitalem [41] pœnam eſſe propoſitam, ſi qui eos conentur invadere. Quibus ſi perfuga non adnuit, neque conſentit, præferenda humanitati religio eſt, & a divinis ad loca quæ diximus turbanda temeritas. §. 3. Hos vero, qui templa cum armis ingredi audent, ne hoc faciant, præmonemus: dein ſi telis cincti, quovis Eccleſiæ loco, vel ad templi ſepta, vel circa, vel extra ſint: ſtatim eos ut arma deponant, auctoritate Epiſcopi a ſolis Clericis ſeverius conveniri præcipimus, data eis fiducia [42], *quod religionis* [43] *nomine melius, quam armorum præſidio muniantur.* Sed ſi Eccleſiæ voce moniti, poſt tot tantorumque denunciationes noluerint arma relinquere, jam clementiæ noſtræ apud Deum & Epiſcopum cauſa purgata, armatis ſi ita res exegerit intromiſſis, trahendos ſe abſtrahendosque eſſe cognoſcant, & omnibus caſibus eſſe ſubdendos. Sed neque Epi-

1 *Pars ultima legis* 24. *C. Theod. h. t.* 2 Gentiliſmus ſimplex capitis ſupplicio non punitur, ſed certis tantum caſibus, vide *l.* 1. §. 2. *J. h. t. l.* 7. *verſ. Quisquis. J. & l.* 10. *J. h. t.* 3 *Subint.* Curiarum, de quibus dixi *l.* 5. *J. de epiſc. audient.* 4 *Syn. Baſil.* 1. *tit.* 5. περὶ θυσιῶν *c.* 12. 5 Paganorum ſuperſtitio hic funditus tollitur: Jubentur enim delubra claudi. Prohibentur etiam honores ſimulachris reddi, poſtes templorum ſertis redimiri, ignes aris accendi, thura in aris adoleri, victimæ cædi, vina pateris libari. Prohibet etiam hæc conſtitutio religionem vocari eorum ſacrilegium, & pœnam mortis in eum, qui ſecus fecerit, indicit. 6 Nota ceremonias, & cultus ſimulachrorum. 7 *l.* 1. §. 2. *J. h. t.* 8 Fiſcus bonorum Principum non tantum ſpoliis hoſtium, ſed & gentilium ſacerdotum damnis augetur. 9 Interpretatio Contii. 10 Hinc illa Symmachi querela: Oro vos, juſtitiæ ſacerdotes, ut urbis veſtræ ſacris reddatur privata ſucceſſio, dictent teſtamenta ſecuri, & ſciant ſub Principibus non avaris ſtabile eſſe quod ſcripſerint &c. 11 Vide *l.* 16. *in fin. ff. de uſu & uſufr. leg.*

12 Exſtat apud autorem Synopſeos 1. *tit.* 1. *cap.* περὶ ἑλλήνων. 13 Interpretatio Contii. 14 Apoſtatæ ultimo ſupplicio puniuntur, vid. *l.* 5. *J. de apoſtatis.* 15 Pædobaptiſmus hic probatur. 16 Baptiſmus gentilibus imperatur. 17 Adde *l.* 18. *in pr. verſ. Si vero. J. de hæreticis.* 18 Pœna recuſantis baptiſmum, adde *parag.* 3. 19 Id eſt, ſummo ſupplicio, *l.* 11. 12. *J. de hæreticis.*

20 V. *Synopſ. Baſil.* 5. 9. *C. Th.* 34. *c. eos.* 6. *diſt.* 87. *quæſt.* 4. *c. reum.* 9. 2. *Harm.* 9. hic titulus non eſt in uſu apud Gallos. Solent etiam delinquentes, & debitores in Eccleſiis capi ſalvo jure redintegrandi, ſi recte confugerint. vid. Lucium 1. *Placit.* 2. Papon. *Arreſt.* 1. *num.* 17. 18. 19. *ad* 24. Rebuff. *in proœm. conſtit. gl.* 5. *n.* 40. Idem *in tractatu immunitatis eccleſiaſticæ*, *t.* 2. differit de immunitatis etymo, cauſis, locis, perſonis, pœnis, judice, & effectu. 21 Eccleſias. *C. Theod. eod.* Hal. 22 Confugæ hi dicuntur, *l.* 22. §. 1. *J. de epiſcop. & cleric.* refugæ, *l.* 6. §. 1. *J. h. t.* 23 Vid. *l.* 5. *in pr. J. h. t.* 24 Aſyli jus tributum Eccleſiis hoc titulo: de templorum violatione vid. Damhouderium *in praxi Criminali*, *cap.* 106. 25 *l.* 2. *C. Theod. h. t.* 26 Judæi criminum rei, vel debitores, jure aſyli non fruuntur. 27 An debitor in loco ſacro arreſtari poſſit, vid. Peckium *cap.* 6. *de jure ſiſtendi*, *num.* 1. 2. Goth. Huc adde, confugientem ad ſacerdotem deferentem corpus Chriſti minime poſſe capi, qua de re vide Hoſtienſ. *in cap. ſane. ext. de celebr. miſ.* Alexand. *ad rubric. ff. de nov. oper. nunt. col.* 4. Joan. Fabrum *in §. filium. Inſtit. de his, qui ſui vel alien. jur.* Alciatum *lib.* 2. *parerg. cap.* 24. & Guidon. Papæ *q.* 121. Mod. 28 Confugam qui ex eccleſia abducit, tenetur majeſtatis; alibi verberatus, & detonſus deportatur. *l.* 2. *J. de crimine ſacrilegii: Synopſis Baſil.* 5. *tit.* 5. *ex lib.* 60. *tit.* 45. *c.* 17. 29 *l.* 4. *C. Theod. h. t. Synopſis Baſil.* 5. *tit.* 5. *c.* 11. 2. *Harm.* 9. 30 Templi Conſtantinopolitani deſcriptionem obſerva. 31 Θυσιαστήρια. 32 Καὶ τὸν εὐκτήριον ναόν. Lex Græca, 5. *C. Theod. h. t.* alias τὸν εὐκτήριον ναοῦ. vid. Cuj. 2. *obſ.* 29. 33 Hoc innuit quatuor parietibus ſeptum fuiſſe oratorium templi. 34 *Novell.* 17. *c.* 7. ἐλέου βωμὸν, id eſt, miſericordiæ: quale fuit Athenis. Theophil. *Inſtit. de jure natur.* §. 1. *in fin.* Pauſanias *in Atticis.* Alibi etiam fit mentio aræ ſalutis. Theod. & Valentin. imperatores, βωμὸν σωτηρίας καὶ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀφιδρύμασι, ἡ ἀρχαιότης ἀνέθηκε. huc refer illud Euripidis *in Andromach.* ἴζει γὰρ καταφυγὴν θὴρ μὲν πέτραν, δοῦλοι δὲ βωμοὺς θεῶν. Chremes apud Terentium *Heautontim. act.* 5. *ſcena* 2. Nec tu aram tibi, neque precatorem pararis. De aris plura vide apud Ferrandum 2. *explic.* 14. 35 Hæc particula ſupereſt. 36 Εἴτε ἐν οἰκίαις ἢ κήποις, ἢ αὐλαῖς, ἢ λουτροῖς, ἢ ἐν στοαῖς, ut hinc conſtet templi Conſtantinopolitani eam fuiſſe faciem: Priorem altaribus, & oratoriis deſtinatam eamque quadruplici muro diſtinctam a poſteriore. de qua mox: Poſteriorem vero occupatam cellulis, ſive domibus eorum, qui Eccleſiæ miniſtrabant, ſed & eorum hortulis, balneis, areis & porticibus. Hanc poſteriorem rurſus partem fores & januas habuiſſe. quæ hic extremæ fores Eccleſiæ, & januæ primæ Eccleſiæ verſus loca publica dicuntur. Fuerit igitur (ut veterem illam rationem templi cum noſtris conferamus) pars illa prior ea, quam noſtri appellant, *l'Egliſe*, & *le temple.* Poſterior, quam nos vocamus *le Cloiſtre.* In utramvis partem rei confugerant, ad Eccleſiam confugiſſe dicebantur: & confugii ſeu aſyli jure fruebantur. 37 Supradicti: alterius fit mentio, puta triginta paſſuum a foribus Eccleſiæ *in can. definivit.* 35. *cauſ.* 17. *quæſt.* 4. & *ibid. can. id conſtituimus.* 36. domibus Epiſcopalibus idem conceſſum. 38 Θυσιαστηρίοις μένειν, ἢ ἐσθίειν, ἢ καθεύδειν, ἢ παννυχίζειν, id eſt, in altaribus manere, veſci, cubare, vel pernoctare. Græci ita legunt in eccleſ. ἐσθίειν ἢ ὑπνοῦν. 5. *Ecl.* 5. *cap.* 11. 39 Arma a templis prohibentur. 40 Sed apud epiſcopos deponant. *Eclog. d. loco.* 41 Pœna confugas invadentium. 42 Ἐλπίδος καὶ ὅρκου. 43 Confugæ religioni magis, quam armis innixi.

ſcopo